

inter se differentes. Namque Aristarchi Samii revocans opinionem Nicolaus Copernicus, et vetustiorum Astronomiam universam, et universi ordinem invertit. Posuit namque Solem in mundi centro, circa quem Mercurium, supra hunc Venerem. Supra hanc orbem quendam magnum qui, terram, et elementa, et Lunam circumferret. Martem, Iovem, Saturnum, octavum, uti alii. Et dum hæc iste vir fabricat, duo Veronenses Ioannes Baptista Turrius, et Hieronimus Fracastorius, homocentricos illos veteres in memoriam atque usum revocaverunt, sed eos ad numerum LXXVII orbium adauxerunt. Vivit adhuc ni fallor. Vir Danus, nomine Tychon Bræ, qui aliam ex propriis, modo factis observationibus universi instituit hypotyposin, a Copernico diversam. Octavam et tres superiores, eodem ordine collocat, sed eccentricos. Sed Martis orbem, intersecare ait orbem Solis duobus locis. Supra Solem vero ponit Mercurium, deinde Venerem in parvis circulis duobus, hoc maiore, illo minore, qui ambo circa Solis corpus revolvantur, et Solis orbem, uterque duobus interfecet punctis. In centro vero universi collocat terram, circa quam sit orbis Lunæ, a Solis quidem orbe circumdatus, sed quem orbis Mercurii et Veneris non circumeant.

Hæc sunt Astronomorum, ut nobis quidem videntur deliria, summatim huc relata. Necesse, enim est, vel omnia esse vera, vel omnia falsa. Vel quædam vera, quædam falsa. At vera esse omnia, tam inter se discordia, tam rebus repugnantia, tam solutu facilia. Falsa igitur omnia erunt potius, quam vera omnia. Sicuti omnia sunt monstruosa. Fatetur enim cælum esse simplex corpus. In corpore simplici, unde tot, ac tantæ diversitates? Si vero ea partiamur, ut quædam vera esse dicamus, quædam falsa, videndum erit, qui sit ea, quam veram esse affirmare audeamus. Si ad motuum calculos, si ad tabulas, atque ephemeridas respiciamus, vetustiores omnes, iam sunt obsoleræ, neque ullæ præsentibus respondent apparentiis. Nullæ novis observationibus. Quibus una tantum Copernici positio calculorum regulas, recentiores isti astronomi omnes supputant, et veras tabulas se se ex eis conficere contendunt. Sed si Tychonem hunc novum astrorum spectatorem audiamus, in multis illa quoque manca est et diffectuosa. Quam ipse corrigere videtur esse aggressus. Et tamen nullæ vetustiorum positiones tam sunt monstruosæ, quam hæc duæ. Cunctæ tamen, et hæc duæ et illæ veteres, ex unica illa positione. Quod stellæ in cælo, ut in tabula nodi aut clavi sint infixæ, ortum habent. Ad hanc enim fixationem, et orbis octo primo sunt excogitati. Et quia non sufficerent apparentiis salvandis, addita tot deliramenta tot fuere monstra. Et totius orbis, susque deque perturbatio, et quasi novum aliud Chaos. Quæ una et vana, et impossibilis positio, si ex Astronomia dematur, omnia erunt plana. Et liber per cælum sideribus cursus dabitur, et appetentiæ omnes salvabuntur. Si intelligantur astra, ut revera sunt, spiritu proprio vehi, animo moveri, intellectu ordine regi: et conditoris obsequio, quia ita rerum universitati in dies expediat, vel nonos ciere, vel transæctos repetere, atque renovare motus. Non enim, corpora, ut appellat antiquitas, divina, sine animo esse est possibile. At neque solo mundi animo, esse animata. Sed et hoc, et suo quæque stella proprio. Et ita propria et communi vivere vita, et proprio, et communi intelligere intellectu. Et proprio, et communi vehi spiritu. Cuius, quia iam sepius mentionem facimus, suo loco, tractationem instituemus. Concludendum igitur, sidera, quia sint animalia, et quidem divina, et divinum animum, et divinam vitam, et divinum intellectum habere et esse necesse. Qui intellectus cum sit mundi intellectui coniunctus et in eo sit. Et sit item in primo intellectu, necesse est, ut a superiorum nutu, omnis eorum pendeat voluntas, neque ab eo discedat unquam, omniaque ordine exsequantur, quæ illum vel voluisse ab initio, vel in dies velle intelligant. Atque ita, si veræ temen sint omnes quas referunt apparentiæ, et non sint instrumentorum errata (quod non pauci ex ipsamet Astronomiæ Schola, contenderunt) interdum velocius alias tardius incedere aut regredi, stare loco, attolli, demitti videantur. Et triplex ille octavi orbis stellarum motus, si tamen verus sit, (quod Proclus, et alimagni viri pernegarunt, easdem ob causas fieri est credendus.